

HARVARD UNIVERSITY  
DEPARTMENT OF HISTORY  
201 ROBINSON HALL • CAMBRIDGE, MA 02138

TEL (617) 495-2556/2545  
FAX (617) 496-3425

## LATIN LANGUAGE EXAM

**Friday, September 15, 2006**

Translate any **two** of the following passages into literate English. Put accuracy of the rendering before style, but try to be readable. You may use a dictionary.

I. Cornelius Nepos, Atticus 9.1-3.

Secutum est bellum gestum apud Mutinam. In quo si tantum eum prudentem dicam, minus, quam debeam, praedicem, cum ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus agitur neque minuitur. Hostis Antonius iudicatus Italia cesserat; spes restituendi nulla erat. Non solum inimici, qui tum erant potentissimi et plurimi, sed etiam, qui adversariis eius se dabant et in eo laedendo aliquam consecuturos sperabant commoditatem, Antonii familiares insequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam extingue parabant. Atticus cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil his indulxit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares eius ex urbe profugientes, quantum potuit, texit, quibus rebus indiguerunt, adiuvit. P. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fulviae, cum litibus distineretur magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit.

II. Eutropius, Breuiarium 10.5-6.

Constantinus tamen, vir ingens et omnia efficere nitens quae animo praeparasset, simul principatum totius orbis adfectans, Licinio bellum intulit, quamquam necessitudo et adfinitas cum eo esset; nam soror Constantia nupta Licinio erat. Ac primo eum in Pannonia secunda ingenti apparatu bellum apud Cibalas instruentem repentinus oppressit, omnique Dardania, Moesia, Macedonia potitus numerosas provincias occupavit. Varia deinceps inter eos bella gesta et pax reconciliata rup- taque est. Postremo Licinius navalii et terrestri proelio victus apud Nicomediam se dedidit, et contra religionem sacramenti Thessalonicae privatus occisus est. Eo tempore res Romana sub uno Augusto et tribus Caesaribus, quod numquam alias, fuit, cum liberi Constantini Galliae, Orienti Italiaeque praees- sent. Verum insolentia rerum secundarum aliquantum Con- stantinus ex illa favorabili animi docilitate mutavit. Primum necessitudines persecutus egregium virum filium et sororis filium, commodae indolis iuvenem, interfecit, mox uxorem, post numerosos amicos.

III. Annales Regni Francorum for the year 774.

Et revertente domno Carolo rege a Roma, et iterum ad Pamiam pervenit, ipsam civitatem cepit et Desiderium regem cum uxore et filia vel cum omni thesauro eius palatii. Ibique venientes omnes Langobardi de cunctis civitatibus Italiae, subdiderunt se in dominio domni gloriosi Caroli regis et Francorum. Adalgisus filius Desiderii regis, fuga lapsus, mare introiit et Constantinopolim perrexit. Tunc gloriosus dominus Carolus rex, ipsa Italia subiugata et ordinata, custodia Francorum in Papia civitate dimittens, cum uxore et reliquis Francis Deo adiuvante cum magno triumpho Franciam reversus est. Et dum pervenisset in loco, qui dicitur Ingilinhaim, mittens quatuor scaras in Saxoniam: tres pugnam cum Saxonibus inierunt et auxiliante Domino victores extiterunt; quarta vero scara non habuit pugnam, sed cum praeda magna inlesi iterum reversi sunt ad propria. Et celebravit praefatus gloriosus rex natalem Domini in villa, quae dicitur Carisicu[m], similiter et pascha. Et inmutavit se numerus annorum in DCCLXXV.

